

1855

# THESES

ATQUE

THEOLOGICA INAUGURALIS DISSERTATIO,

QUAS,

PRO

LAUREA DOCTORALI OBTINENDA

IN

CONIMBRICENSIS ACADEMIA

ANNO MDCCCLV

PROPUGNABAT

Joseph Mauritus de Carvalho.



Sala

5

Gab.

37

Est.

3

Tab.

72

N.<sup>o</sup>

72

卷之三

卷之三

卷之三

卷之三

卷之三

卷之三

卷之三

卷之三

SAPIENTISSIMIS

LONGE . QVE . COLENDISSLIMIS

# PRAECEPTORIBVS . SVIS

SACRAE . THEOLOGIAE . FACVLTATIS

PROFESSORIBVS

OB

INNVMERA . IN . SE . COLLATA . BENEFICIA

IN

PUBLICVM . AC . PERPETVVM

GRATI . ANIHI

MONUMENTVM

Omnia quae habeo, gratissimus offero;  
si parva sunt, quae possideo, non erubesco.

SENECA.

D. O. G.

JOSEPHI . MAURITIVS . DE . CARVALHO.



PRIVILEGIORIBVS . SIVE

EGYPTI ANTHROPOLOGICAE . EGYPTIATICA

SCHEMATICAE

*Et refellere sine pertinacia, et refelli sine iracundia paratis  
sumus.* Ctc.

EGYPTI . EGYPTIATICA

SCHEMATICAE



THESES  
EX  
UNIVERSA THEOLOGIA

SELECTAE,

QUAS,

PRAESEDE

CLARISSIMO ET SAPIENTISSIMO

D. D. Antonio Bellarmino Corrêa da Fonseca,  
SACRAE THEOLOGIAE FACULTATIS PROFESSORE PUBL. ORD.,  
SANCTAE ECCLESIAE CATHEDRALIS PHARENSIS  
CANONICO MAGISTRALI,  
DIVI PETRI APOSTOLI CONIMBRICENSIS COLLEGII  
OLIM  
COLLEGA ATQUE ORNAMENTO,  
OMNIBUS VIRTUTIBUS ADORNATISSIMO VIRO,  
CAET., CAET., CAET.

PRO

LAUREA DOCTORALI OBTINENDA

IN

CONIMBRICENSIS ACADEMIA

PROPUGNANDAS OFFERT

*Integra hujus mensis* die

JOSEPH MAURITIUS DE GARVALHO.



# UNIVERSA THEOLOGIA

DELICATISSIMA

OUIS

## INAUGURALI DISSERTATIONI

ARGUMENTUM PRAEBET:

S. PAUL. AB THESSAL. Ep. II. Cap. III. v. 14.

et  
OLIO

Unde Porismat:

*Traditiones Divinae dogmaticae, a sacra Scriptura distinctae,  
existunt et necessariae sunt.*

LITERATA DILECTIONE QUITA

xxi

CONSERVATIONE ET PROPAGANDA

PROBLEMATUM OFFERIT

COLLEGIUM SACRUM ET UNIVERSITATIS

Ex Historia Ecclesiae utrinque Testamenti.

deinde Cyprianus deponit

Historiam, quae referat Ecclesiae gesta,  
plurimum conferre ad cognoscendam  
eiusdem fidem ac traditionem nemo,  
si sapiat, in dubium revocabit.

PERRONE.

Secundum, ex revelatione  
propositum non potest indecere.

I.

Veterum monumenta populorum scientiarumque natu-  
ralium recentiores inventiones Cosmogoniam Mosaicam  
non infirmant, sed roborant.

II.

Omnia hominum genera (*races*) tantum ex Adamo  
originem ducunt.

III.

Apud omnes gentes semper aliqua practiosa primae-  
vae revelationis vestigia remanserunt.

IV.

Rapida Christianismi propagatio miraculo tribuenda.

V.

Reformationes a Gregorio VII. factae Ecclesiae uti-  
lissimae fuere.

## VI.

**Principia incrementaque hodiernae civilisationis Ecclesiae Catholicae debentur.**

## VII.

**E contrario Protestantismus ab initio retro civilisationem vertit.**

## VIII.

**Socialismus, ex Protestantismo natus, ad antiquam barbariem nos proxime induceret.**

## IX.

**Cruciatorum expeditiones ad populorum libertatem quam maxime contulerunt.**

## VI.

## Ex Theologia Dogmatica Universalis.

Quum enim tota Theologia fructifera et fructuosa, nec illa pars ejus inculta ac deserta sit, nullus feracior in ea locus est, nec uberior, quam de locorum usu et argumentis, quae a Loci Theologiae ducuntur.

MELCH. CAN.

**E**xistit supernaturalis ac divina revelatio;

Sine qua homo, in tantis aerumnis constitutus, necessario esset infelicissimus.

Pro certo enim habemus religionem, quam dicunt naturalem, ei non sufficere ad finem suum adsequendum.

Unde caecutire *Rationalistas*, nullam aliam normam, nisi solam rationem, admittendo, nemo est, qui non videat.

Sola religio Catholica omnibus hominis necessitatibus satisfacere potest.

## VI.

Cujus veritatem invicte demonstrant et miracula a Christo patrata,

## VII.

Et clarissima vaticinia ab ipso praenuntiata quae jam impleta videmus.

## VIII.

*Intolerantismus* religiosus *Christianismo* est essentialis, nihilque et a Dei bonitate et a recta ratione absumum continet.

## IX.

Fides humanae rationis incrementis non adversatur, sed ea potius mirifice provehit.

## III

Imamq; amarq; amonigilor summodi miso oīro oīp  
-amorpha mone mōdū hā sīsōlūz non iō mēstāz  
-mub

## VI

amurion māin mālin amālōz Rātālōz mātāz ab  
-U mān iōp; hā oāmā māstālōz māgālōz mālōz iām  
-Jah

## V

-ilōlōz mātālōz mādāmōz mālōz Cātālōz oīgīlōz aōz  
-eōz bōz eōz eōz

**Ex Theologia Dogmatica Speciali.**

omnium in libertate illi membrum nihil est  
aut membra omnia membra. **Cedat curiositas** Idei; **adversus regulam nihil scire, omnia scire est.**

TERTUL.

etiamque auctoribus multoq. maiusq. aut

I.

**D**ualismus,

II.

Pantheismus,

III.

Et Atomismus ad originem mundi explicandam nihil valent.

IV.

Ea in re, solum Catholicum dogma rationi potest satisfacere.

V.

Antequam Adamus creatus esset, mors in mundo erat;

VI.

Quae in eum ejusque posteros vim suam exseruit ob ipsius graviter commissum.

## VII.

Quoniam antea ille, speciali gratia, immortalis.

## VIII.

Existentia cujusdam vitii haereditarii in humano genere, tum observatione miseriarum humanarum moralium,

## IX.

Tum omnium populorum traditionibus demonstratur.

**Ex Theologia Morali Inreque Naturali.**

non insinuacionis de mortalibus hominibus ne in animis  
animadivitatis

Je conviens que la loi chrétienne veut descendre jusques dans les âmes, pour en régler les désirs et les pensées; mais n'est-ce pas en cela même qu'elle se montre véritablement divine?

M. FRAYSSINOUS.

rapido ibi sumptu erunt.

**Moralis Christiana praestantissima non solum in se;**

**Hominum coniunctio tam placida tam mortalis enim ea**

Sed ad hominem;

Et ad societatem spectata.

Civiles magistratus omnem curam adhibere debent, ut vera religio conservetur, eique debita obedientia ab omnibus consecretur.

Necon civili potestati maximopere curandum, ut religionis ministris et altaribus praestetur honor et reverentia.

## VI.

Librorum lectionem, qui doctrinam religioni adversam in se continent, pestiferam et abominandam esse sustinebimus.

## VII.

Etsi inimicos ex Evangelica lege diligere teneamur, injustum tamen vitae aggressorem occidere, si *inculpatae tutelae* moderamen servetur, nobis non interdicitur.

## VIII.

Jus naturae idem semper et ubique.

## IX.

Hominis conditio, tum physica tum moralis, eum ad societatem creatum evidenter ostendit.

## III.

## VI.

## VI.

## V.

*Ex Theologia Liturgica Iureque Ecclesiastico.*

Les sacrements sont au nombre de sept ;  
ils ont été disposés le long de la route  
de la vie, de manière à s'emparer de  
toutes ses périodes, à présider à toutes  
ses évolutions.

A. NICHOLAS.

ZI

*Pro hominibus vestrum munus administrare.*

Baptismatis sacramentum ad salutem prorsus necessarium.

II.

Semel rite ac valide collatum nunquam potest iterari.

III.

Confirmationem esse verum Evangelicae legis sacramentum non obscure sacrarum scripturarum praedicant oracula.

IV.

In sanctissimae Eucharistiae sacramento Christus vere, realiter et substantialiter continetur.

V.

Pro fidelibus in Domino defunctis, neandum tamen plene purgatis, Eucharistiae sacrificium merito offertur.

## VI.

**Primatus R. Pontificis divinitus institutus.**

## VII.

**Ecclesia potestate legislativa jureque puniendi gaudet.**

## VIII.

**Ecclesiasticus caelibatus clericali statui convenientissimus.**

## IX.

**Et societatis bonum mirifice promovet.**

**Ex Theologia Exegetica Utriusque Testamenti.**

Omnis scriptura divinitus inspirata,  
utilis est. . . .

**PAUL. II. ad Tim.**

**GEN. Cap. VII. vv. 17—24.**

Diluvium universale.

**II.**

**IBID. Cap. VIII. vv. 20—22.**

Deo debetur cultus externus.

**III.**

**IBID. Cap. XLIX. vv. 8—12.**

Messias jam venit.

**IV.**

**EXOD. Cap. VIII. v. 19.**

Miracula solus Deus facere potest.



# DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

EXISTENTIA ET NECESSITATE TRADITIONUM  
DIVINARUM DOGMATICARUM,

BX V. 14. CAP. II. EPIST. II. S. PAUL. AD THESSAL.

ILLATA,

QUAM

**ANNO 1855**

IN

ACADEMIA CONIMBRICENSE

RECITABAT ET PROPUGNABAT

*Joseph Manitius de Carvalho.*



CONIMBRICAE  
TYPIS ACADEMICIS.  
MDCCCLV.

DIVISITATIO INTELLERI

103

EZISTENZIA ET INGENUUS TRADITIONIS  
DIVISITATIO DOCUMENTARIA

CONFESSORUM ET PASTORUM DE S. PETERBOURGO

ETATUM

1870

EXCEPTEA

*Christianus mihi nomen, catholicus cognomen . . .  
Non sunt haeretici vero nomine christiani.*

S. PACIANUS.

VISITATIONIS ET TUTORIA

CONFESSORUM ET PASTORUM DE S. PETERBOURGO



EXCEPTEA

CONFESSORUM ET PASTORUM DE S. PETERBOURGO

1870

EXCELLENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

D. D. JOSEPH ERNESTO DE CARVALHO E REGO,

REGIAE MAJESTATIS A CONSILIIS,  
EQUESTRIS MILITIAE B. VIRGINIS A CONCEPTIONE  
DE VILLA-VIÇOSA COMMENDATORI,  
SACRAE THEOLOG. FACULT. PROF. PUBL. ORD.,  
UNIVERSITATIS CONIMBRICENSESIS  
PRO-RECTORI,  
OMNIBUS VIRTUTIBUS ADORNATISSIMO VIRO  
CAET., CAET., CAET.

IN

AETERNUM

GRATI ANIMI

DOCUMENTUM

..... se o Nilo espumoso,  
Na grã carreira ás ondas grato,  
Tributo de caudae rios acceita,  
Solerbo não rejeita,  
Pobre feudo de incognito regato.

DINIZ, Odes.

O.

JOSEPH MAURITIUS DE CARVALHO.

CATALOGUE

## KENYA ITASHE



Dissertationis, in conclusionum magnarum actu nobis legendae ac defendendae, ex Sacrae Facultatis Theologicae Decreto, materies est vers. 14, Cap. II. Epist. II., Divi Pauli ad Thessalicenses.

Ut praestantissimam, quae hoc ex loco ducitur, doctrinam recte accurateque tractaremus, necesse esset uberiorius, quam quod est, nobis ingenium foret.

Verumtamen pro virili parte eo contendimus, ut si minus perfecta, at saltem quam diligentissime emendata nostra Dissertatione evaderet. En eam, qualemcumque nobis edere licuit; cui pro aegide sit illustre nomen, cuius praesidio ipsam commendamus.



# PRAELEGOMENA.

De II. ad Thessal. epist. auctore.

**N**on hic de primario auctore agimus, quem constat esse Deum seu Spiritum Sanetum; sed de auctore secundario et Dei instrumento, quo Deus suam voluntatem, leges, mandata, minas, promissionesque hominibus insinuari voluit.

Si Patres Apostolici et omnes posteriores ecclesiastici scriptores, canones sacrorum librorum a primis ecclesiae temporibus statuti, et primorum haereticorum testimonia consulantur, ex illis patet, quod una et concors traditio hujus epistolaे auctorem S. Paulum constanter habuerit; et quod tanta fuerit earum auctoritatum vis, et ejus veritatis fides, ut ipsi saeculi **xvi.** Novatores, quamquam erroribus suis adversam cognoscerent, non tamen hanc traditionem ausi fuerint refellere.

Igitur, quum hujus opinionis adversarii non adparcent, plura de ea scribere nobis inutile videtur.

## II.

*De S. Paulo brevis notitia.*

Paulus, antea Saulus nuncupatus, Tarso, Ciliciae metropoli, oriundus, et civis Romanus ex Augusti Edicto, quod jus civitatis huic oppido concesserat, parentibus hebreis, ex tribu Benjamin, ortus est. Quum Hierosolymam mitteretur, sacris litteris a Gamalièle instituendus, inter condiscipulos suos ardentis Legis Traditionumque Judaicarum defendendi studio enituit, et tam acri in Christianos exarsit odio, ut non solum Stephani lapidationi interfuerit, sed et omnes Damasci Christi asseclas in vincula et carceres rapturus, statim sese viae commiserit caedem christianorum spirans; sed prope Damascum humi miraculose prostratus, et Christi voce perculsus ac commotus, conversus fuit. Damasci dein ab Anania baptisatus et e sua corporali caecitate liberatus, mox Christi Evangelium ingenti zelo intrepide annuntiavit, atque ita suum Apostolatum auspicatus est.

Hic recensere non duco necessarium varias peregrinationes, ut orbem Evangelica luce irradiaret; praeterero etiam, quas calamitates, quaeve tormenta, hoc in munere gloriose defungendo, fuerit perpessus.

Ad varias Ecclesias personasque quatuordecim scripsit Epistolas, quae Biblii inveniuntur, non ex temporum, quibus scriptae, ordine, sed ex eorum dignitate, ad quos compositae, aut ex materia, quae in illis agitur, colloquatae.

## III.

*Qua lingua S. Paulus hanc Epist. scripserit?*

Uno consensu adeo adfirmant omnes hanc epistolam graeco sermone scriptam, et tantum Harduinus, qui latino scriptam esse contendit, excipi debet. Hujus au-

tem opinioni ex omnibus antiquis testimoniis negatur fides.

## IV.

*Quo loco et tempore scripta?*

De loco et tempore, quibus S. Paulus hanc epistolam scripserit, variae sunt sententiae. Graecae inscriptio-nes ad hujus epistolae calcem datam ferunt Athenis, quemadmodum priorem. Pseudo-Athanasius in Synopsi, Oecumenius in Comment. et Graeca quedam manuscripta, Romae scriptam docent. Laodiceae in Pisidia datam habet Syriacus.

Nos vero, cum Cardinale Baronio, verisimilius pu-tamus hanc epistolam, sicut priorem, e Corintho missam fuisse anno LII. vel LIII. erae christianaee. Et nostrae opinionis haec argumenta. In prima Epistola ad Thessal. III. 6, eis dicit Apostolus, hanc se scribere post Timo-thei redditum, quem miserat ad illius Ecclesiae statum cognoscendum; et ex Act. Apost. XVIII. 5, videmus, Timotheum Silvanumque Corinthum, non Athenas, ubi paulum commoratus erat, ad Apostolum rediisse: ideo-que Epistola prima, maximeque secunda ad Thessal. non ex hac, sed ex illa tantum, civitate scribi possent.

Ex Roma scribere eam quoque non poterat Paulus: primo, quia longus inter utramque esset temporis inter-jectus; et ex iis patet sine intermissione fuisse scriptas: secundo, quia vincula sua in illa non meminit Aposto-lus, ut in omnibus epistolis Romae conscriptis adsolet.

Hac de epistola singulare est judicium Grotii, qui primam, quam Apostolus scripsit, esse adfirmsat. Hujus tamen opinionis falsitas patet: primo, ex ipsa epistolae serie, quae manifestat, quod secunda sit, et alterius com-plementum; secundo, ex ipso textu Cap. II. 14, primam laudante.

*Quae scribendi occasio?*

Quum Paulus Ecclesiam Thessalonicensium (a) instituisset, hujus urbis Judaei, qui in incredulitate manebant, ei dolo nectendo, eum coëgere Beroeam una cum Silvano discipulo fugere; et, quoniam ibi inimici eum quoque persequerentur, migravit solus Athenas, ubi alter discipulus, nomine Timotheus, ad eum venit. Apostolus de Thessalonicensis Ecclesiae statu sollicitus, quam Iudeorum vexationibus objectam sciebat, quum ad eam urbem ipse venire non posset, Timotheum misit, qui, quomodo illic religio coleretur, exploraret. Paululum Athenis est commoratus, et Corinthum advenit, ubi Timotheus ad eum cum Silvano, qui Beroeae constiterat, rediit; et monuit Thessalonicenses, etsi insectationibus multis afflictos, in fide constanter perseverare; sed plurimos, de die judicii false docendo, eos decipere, ac otiosos et turbatores esse.

Haec quum adciperet, Paulus primam ad Thessal. epistolam scripsit, in qua eis perseverantium in fide gratulatur, eos de die judicij edocet, et turbatores et otiosos graviter increpat. Haec epistola nec doctrinis falsis, nec vitiis, finem fecit; e contrario sollicitudines auxit, quum ipsis fideles, timore perculti, Apostolum diem judicij proximum nuntiare, crediderint. *Impostores*, quum occasionem oblatam tenerent, et forsitan alias Apostoli epi-

(a) Thessalonica, vocata quondam Therma, erat Macedoniae civitas in Mygdonia, super sinum Thermaicum, et sic dicta de Thessalonica, Alexandri sorore, Cassandro nupta. Macedonia caput sub ditione Romana; saeculo XII. regnum fuit, quod anno 1179 ab Emmanuele Commeno, genero suo, *Renier de Montferrat* datum est ad dotem filiae conficiendam; et ad Imperium Nicaeae anno 1232 aggregatum. Ad postremum in Turcarum, sub *Amurat II.*, potestatem venit, quorum imperio, nomine *Saloniki*, adhuc subjicitur.

stolis simudarent, hanc opinionem exaggerare conati; turbatoribus et otiosis ad eandem vitam persequendam ea prima epistola incitamento fuit.

Ardebat Apostolus alios ipse amplius instruere, alios gravius reprehendere; sed quum adire non posset, secundam epistolam eis misit.

### *De hujus epistolae scopo et argumento.*

Ex supradictis jam scopum, quem in hac secunda epistola spectat Apostolus, et ejus argumentum cognoscere possumus.

Incipit ille Thessalonicenses hortando, ut, quamvis vexationes multas patientur, in fide, quam adceperant, perseverent; monet eos ut dictis *impostorum*, qui diem judicii propinquam nuntiabant, aures minime praebent; signa praedicit, illam diem praecessura; gravius, quam in prima epistola, turbatores et otiosos increpat, eisdem praecipiendo, ut laboriose et christiane vivant; denique signum ostendit, quo epistolas suas distinguere debeant, ne falsis decipientur.

### VII.

### *De ejusdem integritate, authenticitate et canonicitate.*

De hujus epistolae integritate critici omnes adfir-  
mant, in ea, quicquid Paulus scripsit, adhuc contine-  
ri; solus autem Schmidtius adfirmavit in Cap. II. a v. 1  
ad v. 12 fuisse interpolatam; sed argumenta ab ipso  
producta adeo infirma sunt, ut merito ea non refutave-  
rimus, quum praeterea ad partem, operis nostri mate-  
riam, non pertineant.

Authenticitas quoque minime dubia est; omnes enim

Patres, et ipsi Apostolici, eam recognoscunt; quod facile demonstraremus, si incontroversa eorum testimonia omnia indicare yellemus.

Canonicitas tandem, etsi tantum per Concilium Tridentinum dogmatice sit definita, ex traditione constat, quae a Sancto Petro epistolas Pauli spiritu divino adflatas semper habuit; unde Concilium Canonem illum statuit, cui omnes fideles submisit.

introduction to some solutions and so

—alios exere latum statimq[ue] solatioq[ue] agit off-  
—eruntur quibus dissenseret sicut et hincipit, et ut fuisse  
1. x. II. q[uod] u[er]o fons u[er]itatis est in nobis sicut et  
osq[ue] da discensione hoc : incoloremq[ue] scilicet 21. x. Ii.  
—contulit nos ex officio tu domini nostrum sicut anniversa-  
—ritus iustus seruus, certus be uocacione nunc dicitur  
Invenimus autem quod  
nihil sumus nisi uultus vestrum uerbi vestri credimus.

## PARS PRIOR.

### ANALYTICA.

PARS PRIOR

LIBRARY

## **ANALYSIS.**

### **I.**

#### *Generalis epistolae analysis.*

Tria praecipua haec epistola continentur.

*Primum:* Deo gratias Paulus agit pro fide ac patientia, quibus Thessalonenses tribulationes patiuntur, eorum virtutes laudat, et eis in fide suadet constantiam.

*Secundum:* hortatur eos, ne doctrinas de propinquitate diei judicii, falsis a Doctoribus traditas, credant; signa indicit illam diem praecessura; et monet, ut traditiones, a se relictas, constanter teneant.

*Tertium:* postulat, ut pro se orient; monet, ne cum turbatoribus, et otiosis agant; eisque postremo Dei pacem gratiamque exoptat.

Haec igitur epistola tres generales *pericopas* habet, quae in totidem capita dividuntur.

### **II.**

#### *Secundae generalis pericopae analysis specialis.*

Quum de speciali primae et tertiae *pericoparum* divisione non agamus, quippe quae ad nostrum scopum non pertineant, secundam tantum examinabimus, quae, ut supradiximus, totum caput secundum complectitur; et in duas speciales *pericopas* eam dividemus.

Prima a v. 1 usque ad v. 11 ex Vulgata, vel 12 ex Leusdenii, qua utimur, versione; secunda a v. 12 Vulg., vel 13 Leusden., usque ad finem capituli, continentur.

In prima facta omnia, diem judicii praecessura, diffuse exponit; in secunda Deo agit gratias Apostolus, quod non ad reprobos, sed ad dilectos a Deo, scribat, qui in die judicij non peribunt; eosque, ut traditiones teneant, adhortatur.

### III.

#### *Analysis specialissima.*

Neque etiam de prima secundae *pericopae* generalis speciali *pericopa* agemus; sed secundam in tres specialissimas *pericopas*, quae in illa continentur, tantum dividemus.

In prima, vv. 12 ac 13 ex vulg., vel 13 et 14 Leusd., Apostolus sibimet ac Thessalonicensibus, quod in die iudicii sortem reproborum non passuri sint, congratulatur.

In secunda, v. 14 Vulg., vel 15 Leusd., monet, ut constantes in fidè maneant, et traditiones teneant.

In tertia usque ad finem Cap., eisdem in animis consolationem atque in bonis operibus perseverantium cūpit.

#### *Pericopa, unde Porisma.*

##### TEXTUS.

Ἄρα οὖν, ἀδελφοί, σήκετε, καὶ  
χράτείτε τὰς παραδόσεις, ας  
ἐδιδάχθητε, εἴτε διὰ λόγου  
εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν.

##### VULGATA.

Itaque fratres state: et te-  
nete traditiones, quas didi-  
cistis, sive per sermonem,  
sive per epistolam nostram.

## EPILYSIS.

### *Epilysis Exegetica.*

Non verba, quibus una est notio, sed quae diversas notiones indicant, hic tantum interpretabimur; et ex illis, Hermeneutica docente, eam legemus, quae ad hunc locum melius conveniat.

Fratres. = ἀδελφοί. = Multae sunt significaciones, quibus haec vox in sacris litteris accipitur; significat enim:

I. Fratres, qui ab iisdem parentibus sunt nati:

Matth. IV. 18: Joan. XI. 2, 21.

II. Patruelem fratrem: Matth. XII. 46: XIII. 55.

III. Amicum: Matth. V. 47.

IV. Collegam, qui ipsam exercet artem: II. ad Cor. I. 1.

V. Qui eandem religionem colunt: I. ad Cor. XII. 1: Matth. XXIII. 8, 9.

VI. Qui JESU CHRISTO conjungantur ortu societateque spirituali: Matth. XII. 49, 50.

Hic notionem quintam, *fratres religione*, accipimus, quia συνάρτησις immediata alteram sequi nos prohibet.

State. = σηκετε. = Tres sunt notiones, quibus hoc verbum accipitur:

- I. Sto, quod non significat *insistere pedibus*, sed  
*esse in praesentia*, id est, *adesse*, sic: Matth. XI. 25.
- II. Persisto: Ad Galat. V. 1.
- III. Non cado, id est, *non pecco*: Ad Philip. IV. 1.

Quaenam ex his ad hunc locum pertinebit? Ex *contextu* solam secundam praeferre debemus. Omnes versiones habent —state—; sola vero Leusden. versio verbi τάκτε significationem circumscribit, quum vertat —retinet. Ex illis igitur nullas notiones colligere possumus. Interpretes autem et commentatores habemus, quorum sententiae nostrae significationi omnes convenient. Cornelius a Lapide: *State in fide*, ait, *et vita christiana, quam accepistis, firmi*. Menochius: *State constantes in fide et vocatione vestra*. S. Thomas, ad hoc verbum, ait: *Apostolus monet tenere veritatem*. Joannes à Gorcom: *State, id est, constantes stote in fide et vocatione vestra*. Calmet: *State constantes in fide atque virtutum exercitatione*. Ita omnes.

Tenete. — κατέτε. — Est verbum κατέτε, quod quantuor habet significaciones:

- I. Corripere: Matth. XIV. 3.
- II. Apprehendere sine violentia: Matth. III. 25.
- III. Non condonare: Joan. XX. 23.
- IV. Constanter observare, profiteri: Marc. VII. 3.

Inutile est de conveniente significatione cognoscenda versiones adire, quoniam omnes, ut Vulgata, *tenete* vertunt; sed ex contextu clare intelligitur hoc verbum tantum in significatione morali accipi posse. In Scripturis autem significationes morales huic verbo sunt: — *non condonare*, — et — *constanter observare, profiteri*, quarum unam optare debemus. Ea tamen optatio haud difficilis est, propterea quod primus sensus parum est idoneus; adeoque secundum, quem et interpretes capiunt, accipiemus. Sic Calmet habet: *Servate traditiones*; Theo-

doretus: *habetote regulam doctrinae*; Piconius: *firmiter servate traditiones*.

Traditiones. —  $\pi\alpha\pi\alpha\delta\sigma\alpha\tau\epsilon$ . — Significatio hujus verbi propria est *aliquid alicui tradendi actio*; sed in sacris scripturis significat quoque:

I. Traditiones, quas Dei jussu statuit Moyses: Act. VI. 14.

II. Sententias, vel traditiones humanas, regulas ab hominibus recens constitutas: Matth. XV. 2, 3, 6; Marc. VII. 3, 5, 8, 9, 13; Ad Galat. I. 14; Ad Coloss. XI. 8; I. Petr. I. 18.

III. Traditionem Apostolicam; doctrinam scriptam et non scriptam, quam Apostoli tradiderunt: I. ad Cor. II. 2, 23; XV. 3.

Hic tertia significatio usurpatum, et sic se Syriaca versio habet: *constanter tenete paecepta*; et Erasmus: *tenete institutiones*.

Commentatores et interpres eamdem significacionem servant: S. Thom. inquit: *traditiones, id est, documenta, quae a majoribus (Apostolis nempe et senioribus, qui erant Hierosolymis) traduntur*. Menochius: *traditiones vocat (Apostolus) doctrinas et institutiones religionis christiana, verbo tenuis traditas vel per epistolas, quarum aequalis est auctoritas*.

Didicistis. —  $\varepsilon\delta\iota\delta\alpha\gamma\theta\eta\tau\epsilon$ . — In sacris litteris hoc verbum —  $\delta\iota\delta\alpha\sigma\kappa\epsilon\omega$  — in voce activa et passiva sumitur.

Vox activa significat:

I. Docere; instruere: I. ad Tim. II. 12.

II. Impellere, aut viam aperire expeditiorem ad faciendum id, quod docetur: Joan. XIV. 26.

III. Animadvertere; monere; declarare: Marc. VIII. 31.

IV. Imperare; praecipere: Joan. VIII. 28.

Vox passiva significat:

Doceri; discere: Ad Ephes. IV. 21.

Hanc significationem accipere debemus, de qua versones et interpretes omnes convenient. Estius et Gor-com aiunt: *traditiones quas didicistis, Graece, quas edocisti estis, id est, quas ego vos docui.* Piconius: *traditiones quas a nobis accepistis.*

Sive. — εἰτε. — Particula disjunctiva, quae bis plerumque repetitur, Ad Rom. VI. 16: XII. 6, 7: II. ad Cor. I. 6: XII. 2, 3: ad Philip. I. 27: I. ad Thessal. II. 14.

Sermonem. — λόγου. — A verbo — λέγω — dico — derivatur, et in sacris litteris diversas habet significaciones:

- I. Sermo; vox: Matth. V. 37: X. 14: XXIII. 15.
- II. Bona sive mala doctrina, quae per sermonem traditur: II. ad Tim. II. 17: Ad Hebr. II. 2: VI. 1.: II. Petr. I. 9: Joan. VIII. 37: XV. 20.
- III. Evangelium, seu doctrina Evangelica: Luc. I. 2: Ad Coloss. IV. 3: I. ad Thessal. 5, 8: Act. I. 1.
- IV. Ars; ingenium; in eloquendo facundia: I. ad Cor. IV. 19, 20: II. ad Cor. XI. 6.
- V. Jussum; praeceptum; mandatum: Joan. VIII. 51, 52, 55.
- VI. Res; actio; negotium: Matth. XXI. 24.
- VII. Fama; nomen: Luc. V. 15: VII. 17: Act. XI. 22.
- VIII. Promissio; minatio: Ad Rom. III. 4.
- IX. Verbum aeternum, vel verbum, quod Deus per angelos aut per homines enuntiat: Ad Hebr. IV. 12.
- X. Liber; scriptum; historia; annales: Act. I. 1.
- XI. Vox vana et inanis; species externa inutilis: I. ad Cor. IV. 19. 20.

Tot inter diversasque significaciones ex συνάρτεια immediata sola prima praferenda videtur; quod Apostolus Thessalonicenses hortatur, ut praeceptis obtemperent, quae jam per sermonem, quum apud eos fuerat, et per primam epistolam, ad eos scriptam, cuius haec secunda complementum est, illis tradiderat.

Haec etiam interpretum sententia: Estius inquit: *traditiones dividit in scriptas et solo sermone traditas, quas Graeci vocant ἀγραφας, id est, non scriptas. S. Thom.: et has traditiones dupliciter ediderunt..... quasdam verbis, unde dicit=Per sermonem. Quasdam in scripturis, ideo addit, sive per epistolam. Theodoretus: Sermones quos vobis tradidimus, quos et praesentes vobis praedicavimus, et absentes scripsimus.*

Epistolam —ἐπιστολή— Vox ἐπιστολὴ a verbo ἐπιστέλλω —mitto— deducitur, et in sacris litteris significat:

I. Epistolam, quae scribitur et mittitur: II. ad Cor. X. 9, 10: II. Petr. III. 1: Ad Coloss. IV. 16.

II. Rem, quae pro epistola commendatitia sumitur: II. ad Cor. III. 2.

Hic sola prima significatio accipi potest; et nostram sententiam S. Thom. et Theodor. verba superius laudata plene confirmant.

Sensus ergo hujus v. est: Itaque fratres, firmi et constantes in fide et vocatione, qua vos Deus per gratiam suam dignos habuit, persistite: et reverenter custodite doctrinas, quas vobis tradidi, sive per vivam vocem absque epistolis, sive per epistolam.

*Epilysis Elenctica.*

Verborum Apostoli statuto sensu in illa, quam resolvimus *pericopa*, nunc superest illum defendere adversus eos, qui longe alium in illa vel vident, vel videre fingunt.

Aiunt primo, Apostolum Thessalonicenses Evangelicam doctrinam primum vivae vocis oraculo tradidisse, sed postea illam in epistolis, quas ad illos misit, scripsisse, ideoque in eo loco de Traditionibus non scriptis, ut nos intelligimus, haud loqui. Adversus haec sufficeret particulam disjunctivam *et* — *sive* —, ab apostolo expressam, quae nobis evidenter, quam diversa sunt, quae ore docuit, ab illis, quae in epistolis, monstrat.

Sola haec ratio satis monstraret adversarios hujus loci sensum non intelligere; sed alteram adhuc fortioriem rationem afferimus, quae abundantiter id probat. Quae autem doctrina fuit, quam Paulus Thessalonicensibus tradidit, quum inter illos Christianismum constituit? Nulla prorsus, nisi quae, a JESU CHRISTO instituta, a Paulo integra transmissa fuit, nemo autem assertere ausit totam hanc doctrinam in epistolis ad Thessalonicenses contineri: Apostolus illarum doctrinarum, quas viva voce tradidit, mentionem facit, quas litteris non iterat, et custodiendas imperat; has vero doctrinas Traditiones vocamus: ergo Thessalonicensibus Traditionum observantiam Apostolus imperat.

Instant etiam adversarii, Apostolum hic de doctrina, quam ore Thessalonicensibus tradidit, et quam non scripsérat, sed quae jam tum, aut postea ab Evangelistis scripta fuit, loqui. Quia, inquit, Apostolus nihil omnino docuit, quod in Novi Testamenti libris non contineatur. Falsam esse assertionem hanc eadem epistola II. ad Thessal. evincet; in cuius enim Cap. II., v. 5, Aposto-

lus inquit, se Thessalonenses, quum apud illos esset, docuisse tempus, quo Antichristus adventurus erat; nulla vero in Novi Testamenti parte anuntiatum invenimus hoc; unde nobis impossibile est illud cognoscere, quum Apostolum non audiverimus.

Sed etiamsi omnia, quae Apostolus ore docuit, possent scripta esse admitterent, ut nos admittimus et asserimus, ne illud quidem sensum destruit, quem nostrae pericopae tribuimus; quia Paulus hic non dicit se scripturam esse aut jussurum ab alio scribi instructiones, quas ore tenus dedit; jubet modo eadem reverentia et veneratione observare, quicquid ex ore suo et ex lectio-

ne epistolarum ejus didicerunt.  
Eo etiam sensu Sancti Patres hunc locum intelligunt: itaque ut multa non designemus, S. Joan. Chrysost. ad hunc locum ait: *Hinc patet quod non omnia per epistolas tradiderint (Apostoli), sed multa etiam sine litteris. Eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista.* Et S. Joan. Damasc. Lib. IV. de Fide Cap. 17: *Quod plurima, inquit, Apostoli tradiderint sine scripto, scribit Paulus; ergo, fratres, state et tenete traditiones, quas edocit estis sive per sermonem, sive per epistolam.*

Sed ut aliquid ex eorum aliorumque Patrum opinionum pondere detrahant, qui eodem modo hunc S. Pauli locum intelligunt et exponunt, Hieronymi, Ambrosii, Primasii, Theodorei et Anselmi auctoritates exhibent, quum asserant omnes hos eundem huic loco sensum, quem illi, tribuere, id est, nostro contrarium.

Videamus autem quid in hoc verum sit.  
Quod ad HIERONYMUM adinet, Commentarium, quod ei tribuitur, et ad quod adversarii configunt, illius non est, sed Pelagii, ut ab August. probatur, et ex ipso commentario videtur; sed, etiamsi illius auctor esset Hieronymus, nihil adversus nos inde probaretur. Ibi dicitur in glossa vi. 14, Cap. II. Epist. II. ad Thessal.: *Quando sua vult teneri (Paulus), non vult extranea su-*

*peraddi: Apostolica autem traditio est, qua in toto mundo praedicantur Baptismi Sacra-  
menta.* Quod plene nostrae adhaeret sententiae; quum enim vivae vōcis traditio-  
nes, ab illis, quae sunt scriptae, diversas admittimus, et observari volumus, eas tantum intelligimus, quae di-  
recte ab Apostolis descendunt, nihilque in his imminui  
vel augeri volumus. Nec laudati loci reliqua nobis ad-  
versantur; sed e contrario ibi videmus Traditiones  
Apostolicas haberi omnes mysteriosos ritus, quibus Ba-  
ptismum celebratur = *Baptismi Sacra-  
menta* =: v. g.  
exorcismos, exsufflationes, unctiones, et alia quae expre-  
sa in Scriptura non inveniuntur; ergo illius Commenta-  
rii auctor jam tum, ut nos, Apostolum in illo suae ad  
Thessal. epistolae loco, de traditionibus, quae in Scri-  
pturis non extant, loqui, et earum observantium com-  
mendare, admittebat.

**PRIMASIUS** de Traditionibus in toto mundo observa-  
tis custoditisque loquitur, quae ideo ut Apostolicae re-  
cognitae sunt. An vero toto in mundo solae servabuntur  
et custodientur, quae in Evangelio sunt scriptae, Tra-  
ditiones, ut adversarii volunt? Si nobis Evangelii locum,  
quo celebrari jubentur festa Nativitatis Domini, Pascha-  
tis, et alia multa, quae totum per Catholicum orbem ob-  
servantur et custodiuntur, indicaverint, tunc veritatem  
pro illis esse, nosque errare dicemus; sed dum id, quod  
nunquam praestare poterunt, non fecerint, in nostra sen-  
tentia manebimus, quam ut propriam jampridem Prima-  
sius exhibuit.

**AMBROSIUS** nihil, quod adversariorum sententiae fa-  
vere possit, dicit: hunc locum Apostoli interpretatus, so-  
lummodo inquit illum in doctrina Evangelii permanere  
jussisse, non autem doctrinam scriptam a non scripta  
distinguit: ergo adversum nos nihil probatur.

At contra nos probationis aliquid adferent **ANSELMI**  
verba? Videamus. *Tenete, inquit S. Doctor, in corde et  
operibus Traditiones, quas didicistis sive per sermonem*

*nostrum, dum essemus praesentes, sive per epistolam, quam vobis misimus absentes.* Systemati suo tenaciter adversarios inhaerere necesse est, quominus videant, quemadmodum hoc in loco doctrinas ab Apostolis oretenus traditas a scriptis S. Pater luculenter secreverit.

Adhuc superest THEODORETUS, qui, hunc locum interpretatus, ita ait: *Habetis doctrinae regulam, sermones, quos vobis tradidimus, quos et praesentes vobis praedicavimus, et absentes scripsimus.*

Indicabuntne haec verba, ut adversarii volunt, Apostolum in epistolis suis solum, quod prius voce docuerat, scripsisse? Nullo modo, quia non adeo nescius erat Theodoretus, ut mendacium falsitatemve notam admitteret et adfirmaret. Ut verum Theodoreti sensum intelligamus, scire opportet, in omnibus illum S. Joan. Chrysost. expositionem sequutum esse, cuius laudatae superius ope solum intelligenda est Theodoreti interpretatio, quod ita faciemus: *Habetis doctrinae regulam sermones tum quos voce praedicavimus, tum quos aliis de rebus in epistola scripsimus.*

Hac tantum ratione intelligi possunt Theodoreti verba; ex quo patet, neque illum neque alios ab adversariis designatos adversus sententiam nostram nihil adeo valere, ut eam potius confirment.

Quod ad *pericopae* integritatem adtinet, nihil opus est dicere, quum integrum esse Epistolam jam ostenderimus.

Nonnullae existunt *variantes*, sed nullius momenti sunt, neque sensum deturpant, quod textum cum aliquibus versionibus jam conferendo monstrabimus.

**Textus Græcus:** — Ἄρα οὖν, ἀδελφοί, τίκετε, καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, ἃς ἐδιδάχθητε, εἴτε διὰ λόγου εἴτε δι᾽ ἐπιστολῆς ἡμῶν.

**Vulgata . . . . .** = Itaque fratres state: et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.

**Itala . . . . .** = Itaque fratres state: et tenete traditiones nostras, quas . . . . .

**Syriaca . . . . .** = Proinde fratres mei, state et constantes tenete pracepta quae . . . . .

**Arabica . . . . .** = Itaque fratres state: et tenete monumenta quae . . . . .

**Aethiopica . . . . .** = Itaque fratres praestate et observate constitutiones vestras, aut per sermonem . . . . .

Antilogias nullas delendas habemus; idcirco Epilysis Elencticam concludimus.

### III.

#### *Epilysis Porismatica.*

*Porisma, quod a nostra pericopa deduximus hoc est:  
Traditiones divinae dogmaticae, a sacra Scriptura  
distinctae, existunt, et necessariae sunt.*

Idem ita ratiocinando deducemus: ad salutem necessariae sunt omnia, quae ab Apostolis sub pracepto iussa sunt; atqui Paulus sub pracepto jubet traditiones servare: ergo existunt, et necessariae sunt.

Prob. major: Apostoli a JESU CHRISTO missi sunt Evangelium praedicaturi (Matth. XXVIII. 19), et qui eos spernant, JESUM CHRISTUM spernere judicabuntur (Luc X. 16): omnes igitur traditiones ab Apostolis Ecclesiae traditas observari ad salutem necesse est.

Prob. minoris in textu est; conclusio itaque vera.

## INTRODUCTION.

## PARS POSTERIOR.

### SYNTHETICA.

PARS POSTERIOR

SCHILLER

## INTRODUCTIO.

Priusquam *porismatis* nostri demonstrationem incipiamus, notiones aliquas, ad ejus intelligentiam necessarias, et a quibus finis, quem, in deducendo demonstrandoque illo, habemus, explicabitur.

Vocabulum, *Traditio* = παράδοσις = diversas significaciones in Graecis habebat; nos vero hic tantum in illa, qua idem significat, ac πατροπαράδοτα = *illud, quod a majoribus patribusque transmissum est*, illam accipimus. Dionysius Halicarnassius aliique Graeci scriptores sub nomine Traditionis praeteritorum temporum doctrinas, quarum nonnullae primitivam fidem, documenta vetera materiam habebant, historicos eventus aliae. Apud Judaeos etiam hanc duplicem significationem idem vocabulum habebat. In stylo quoque ecclesiastico, hoc idem vocabulum diverse accipitur; in genere, quocumque testimonium, per quod non solum unius facti veritas, sed etiam unius dogmatis antiquitas et veritas asseritur, usus consuetudinisque antiquitas, universalitas et legalitas.

Theologice vero vox = *Traditio* = omnem doctrinam, cuius matries ad fidem, mores, disciplinamque pertinet, et quae primum viva voce transmissa est, documento vel usu publico, qui postea in consuetudinem decidit, magis minusve universalem, magis minusve durabilem, significat.

In origine sua si traditionem spectaverimus, *Divinam* vel *humanam* esse dicemus. *Divina* proculdubio illa est, quae suam a Deo originem habet: tales v. g. instructiones fuerunt, quas Moyses a Domino accepit et postea sanioribus Judaeorum viva voce communicavit: tales quoque sunt in Ecclesia Catholica illae, quas Dominus JESUS CHRISTUS Apostolis dedit, et spiritus sanctus inspiravit, et quae in N. Foedere scriptae non fuerunt.

Igitur Traditio Divina Catholica definiri potest:—  
*Verbum Dei non scriptum, quod ex JESU CHRISTI revelatione, aut Spiritus Sancti inspiratione Apostoli acceperunt, vivaque voce discipulis successoribusque suis tradiderunt, et quod ad nos usque pervenit Pastorum documento, quorū primi ab Apostolis ordinati institutique sunt.*

Ex quo sequitur, Traditionem *Divinam* esse doctrinam fidemque, uniformes, constantes, semper et ubique easdem, Ecclesiae universalis, quae est societas divinitus instituta et a JESU CHRISTO, capite suo invisibili, perpetuo directa, atque a Spiritu Sancto, qui ejus anima vitalisque spiritus est, animata. Eam Ecclesiae doctrinam cognoscimus ex ipsius Pastorum unanimis testimonii, conciliorum decretis, Ecclesiarumque particularium fide, legibus etiam, quibus reguntur, constanti et universaliter publici cultus praxi, ritibus et orationibus liturgicis, ac tandem ex aliquorum auctorum profanorum, etiam haereticorum testimonio et confessionibus.

*Humana* vero Traditio est, quae ab hominibus venit, et auctores habet vel Apostolos, simpliciter spectatos ut Ecclesiae capita et Pastores, at non ut JESU CHRISTI et Spiritus Sancti organa indubitata; vel Apostolorum discipulos, eorumque successores; vel etiam homines absque missione Divina, charactere, potestateve divinitus communicatis.

In acceptione prima, traditio est simpliciter *Apostolica*; in secunda, *Ecclesiastica*; in tertia, mere *humana*,

aliam auctoritatem non habens, nisi quam ab auctoris sui scientia et sanctitate habere potest, et ab argumentis, quibus sua nititur doctrina.

Sed Traditiones, quae tempore Apostolorum originem habere dicuntur, maxima ex parte vere Divinas esse observabimus, ideo, quod illi id solum fere docebant statuerantque, quod a JESU CHRISTO et a Spiritu sancto didicerant. Sic etiam *Apostolicae* putandae pleracque Traditiones, quas ad nos transmiserunt Apostolorum discipuli immediati; quoniam etiam ad unum omnes se nihil docere, nisi, quod a magistris didicissent, professi sunt.

Quod ad mere *humanas* Traditiones adtinet, plurimae in sanctorum Patrum scriptis inveniuntur, v. g. philosophica systemata vel ab ipsis adinventa, vel aliunde adducta, ut in illorum fundamento moralia dogmata constituerent, suarum moralium ac mysticarum Sacrae scripturae explicationum quamplurimae.

Quoad materiem suam Traditio spectata in *dogmaticam*, *disciplinarem*, et *historicanam* jure dividitur.

*Dogmatica* est, quae nobis veritates fidei, principiaque moralia, a JESU CHRISTO docta aut a Sancto Spiritu Apostolis inspirata, tradidit; aliter, quum pro materie sua ipsum verbum Dei habet.

*Disciplinaris* est, cuius materies sunt quaedam disciplinae regulae, ad cultum Divinum, sacramentorum administrationem, praceptorumque moralium particularem applicationem ad diversos christianaee societatis ordines, relatae; quaedamque ab Apostolis instituta, ea auctoritate, qua, ut Ecclesiae capita, usi sunt; ac tandem leges a primis Pastoribus, conciliis, consuetudinibusque, sanctae.

Traditio *historica* est, quae successus historicos materiem habet.

Nos vero, ut ex porismate nostro videtur, solum hic de dogmatica Divinaque Traditione agimus; quaestio

enim maxime momentosa est, quae nos inter et Protestantes disputatur.

Quum Traditio Ecclesiae sensum et definitionem, quid credendum, quid faciendum clare pronuntiet; quumque omnes haereses aperte detegat ac damnet; hinc Lutherus et Calvinus et ante eos multi alii haeretici (a), spreto Ecclesiae judicio, ad solam Scripturam se receperunt, probe gnari, eam in varias interpretationes trahi posse, ac proinde ex Scripturae abusu asylum sperarunt, quod apud sectatores suos invenerunt.

Notare autem debemus, Protestantes haud rejicere omnes Traditiones, viva vocis oraculo transmissas, quae a nobis divinae dogmaticaeque vocantur. Confitentur quidem omnia JESU CHRISTI documenta ab origine sua viva voce et practica transmissa esse; quia negare non possunt sacros libros serius multis annis extitisse, quam Salvator in coelum ascenderet, Canonemque Scripturarum solum in primi saeculi fine esse perfectum, atque, post definitivam Canonis perfectionem sacrorum librorum, etiam duas Traditionis species distinguunt et admitunt, quas vocant *inhaesivam* et *declarativam*.

Traditio *inhaesiva* ab ipsis dicitur, quae tradit ea ipsa dogmata, quae perspicue in sacris litteris continentur. Nam dogmata, quae sacra Scriptura continet, etiam ex communi fidelium sensu innotescunt, qui propterea adhiberi potest in confirmationem veritatis, non quod ipse so-

(a) De Valentianis, Marcionitis, et similibus testantur *Iraen.* Lib. III. Cap. II. et *Tertul.* de *Praescript.* Donatistar quoque semper Scripturas urgebant; *August.* de *Unit.* Eccles. Cap. XIX. Arianos nullo modo quidquam praeter Scripturas admisisse, testantur *Hilar.* Lib. contr. Constant. et *Epiphan.* haer. 75. Idem patet de Eunomianis ex *Basil.* Idem de Nestorio, Euthychete, Dioscoro refert *Basil.* *Ancyr.* Episc. Idem de Apostolicis sui temporis *Bernard.* Hom. LXVI. in *Cant.* Idem de Joanne Wiclefo *Thom.* *Waldensis.* Ab iis ergo quasi per manus acceperunt Lutherus et Calvinus dogma suum de traditionibus contempnendis.

lus fidem dogmatis possit adstruere, sed quod testimonium perhibere queat dogmati in Canonicis libris expresso. Hujus rei exemplum ponunt in dogmate de Christi resurrectione. Nam si continget, ut ipsa Scriptura periret, haec veritas adhuc ex traditione innotesceret, quae fidem ficeret eam olim in sacris litteris extitisse, et ob earum auctoritatem ab omnibus Christianis semper fuisse creditam.

*Declarativa* vero est, quae disertius explanat, quod sacrae litterae breviter aut minus perspicue docent. Ejusmodi est traditio de reali Christi praesentia in Eucharistia, quum eorum verborum — *Hoc est corpus meum* — sensum exponat, atque determinet. Haec traditio in eo ab *inhaesiva* discernitur, quod ista non doceat nisi ipsissima dogmata, quae sunt in sacris litteris expressa, illa vero sit eorum uberior expositio, quae in sacris litteris minus perspicue continentur.

Utramque admittunt Protestantes, quia earum auctoritas in Scripturae sacrae auctoritatem resolvitur, idcirco servire non possunt ad fidem statuendam, nec doctrinam firmandam; sed solum ad evidenter cognitionem donandam dogmatum in sacra Scriptura existentium; permanente hac, ut unica fidei morumque indubitate regula, ut unica doctrinalium contentionum judice.

Quod ad Traditiones, a verbo Dei scripto distinctas, adinet Lutheri et Calvini discipuli et adseclae, magistris suos sequuti (*a*), ea omnino respunnt; de eorum sententia vera Traditio auctoritatem nullam habet, nihilque valet, quum ea a Scriptura sacra se Jungimus.

(*a*) Luther. in comment. Cap. I. ad Galat.: *Neque, inquit, alia doctrina in Ecclesia tradi, et audiri debet, quam purum verbum Dei, hoc est sacra Scriptura. Doctores vel auditores alii cum sua doctrina anathema sunt.*

Calvinus Lib. IV. Institut. Cap. VIII. §. 8: *Esto igitur, inquit, hoc firmum axioma, non aliud habendum esse Dei verbum, cui detur in Ecclesia locus, quam quod lege primum, et Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur.*

Itaque adversus illos defendere intendimus Traditionum existentiam et necessitatem, quae a sacra Scriptura distinctae sint, cum Patribus Tridentinis adfirmantes verbum Dei non solum in scripturis sacris, sed etiam in traditionibus contineri, quarum traditionum documenta distincta quidem sunt ab illis, quae in revelatione ab haecographis scripta continentur, dogmataque multa necessaria et quae fidei fundamentum sunt, docent.

## CAPUT PRIMUM.

*De traditionum Divinarum dogmaticarum, a sacra  
Scriptura distinctarum, existentia.*

Ad existentiam Traditionum Divinarum dogmaticarum, a Scriptura saera distinctarum, demonstrandam, satis forsitan esset earum necessitatem ostendere, unde eas existere ideo concludemus, quod in oeconomia Religionis, quaecumque necessaria sunt, existunt.

Sed argumenti pondere perspecto, singula demonstrabimus capita: in quorum primo ratiocinationes exhibebimus, quae Traditionum Divinarum dogmaticarum existentiam probant, a sacra Scriptura distinctarum; in secundo vero illas, quibus earumdem necessitas probatur.

Si JESUS CHRISTUS Scriptura, non traditione, religionem suam stabilire voluisse, profecto scripsisset, vel saltem Apostolos suos scribere jussisset, quaecumque ad eandem religionem pertinerent; quum vero JESUS CHRISTUS neque scripserit, nec Apostolos scribere jusserit; manifestum est Traditiones Divinas dogmáticas, a sacra Scriptura distinctas, existere voluisse.

Probatur maj. Qui finem, etiam media vult; idecirco si JESUS CHRISTUS voluisset unicum veritatum revelatarum fontem esse sacram Scripturam, eam certe scriberet, vel scribi juberet.

Prob. min. JESUM CHRISTUM nihil, quod ad religionem a se institutam pertinet, scripsisse, verum est, de quo dubitare nemo potest; quia, etiamsi epistola, quam aliquot ab eo ad Abgar scriptam fuisse dicunt, genuina esset, ex illa nihil adversus adscriptionem nostram probaretur; nullam enim vocem, quae ad dogma moraliumque referatur, continet. Eum non jussisse Apostolos scribere, sed solum populos vivae vocis oraculo instruere, ex omnibus patet Novi Testamenti locis, in quibus JESU CHRISTI ad Apostolos pracepta, quae ad doctrinam ipsius propagandam spectant, continentur. In Evangelio Matth. Cap. XXVIII. 19 praecipit ille: *Euntes ergo docete omnes gentes.* Quo modo vero, in Evangelio secundum Marcum XVI. 15 eos docet, ibi enim legimus: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae.*

Huic pracepto fideles, ubique illud religiose obseruant Apostoli, veritates, quas didicerant, praedicando, easque miraculis, vel proprio sanguine, nunquam tamen scriptis confirmando: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis,* Marc. XVI. 20: docendoque non ex lectione provenire fidem, sed ex auditu; *auditum autem per verbum CHRISTI.* Ad Rom. X. 17.

Quod si eorum nonnulli calamum sumunt, non certe doctrinarum systema, librumve ad homines in veritibus ad salutem necessariis instituendos, confidere student; sed aliqua tantum Divini Praeceptoris vitae facta, ejusque doctrinae exiguum partem, pro circumstantiis necessariam, conscribunt.

Ita Matthaeus Evangelium scripsit, quia, quum praedicasset Hebraeis, et ad Gentes ire pararet, utile judi-

cavit iis, quos corpore deserebat, aliquod memoriale doctrinæ suaæ et praedicationis relinquere. Marcus nec sponte sua, nec a Petro, cuius discipulus erat, jussus, sed praecibus Romanorum compulsus, Evangelium scripsit. Lucas ideo solum scripsit, quia viderat multos alios temere praesumpsisse ea litteris mandare, quae non perfecte noverant, ut nimur nos ab incertis aliorum narrationibus abstraheret. Joannes ad extremam usque senectutem sine ulla Scriptura Evangelium praedicavit; et ait Hieronymus, tandem eum compulsum fuisse ab Asiae Episcopis Evangelium scribere propter Ebionitarum haeresin tunc exorientem. Itaque, ni predictæ occasiones oblatae fuissent, quatuor Evangelia fortasse non haberemus.

Paulus, quum triginta tribus annis Evangelium praedicasset, quatuordecim modo epistolas scripsit, in quibus ne centesima quidem pars eorum, quæ viva voce docuerat, invenitur: minus etiam scripsit Petrus, duas tantum breves epistolas edens, unam Jacobus, unam Judas, duas autem Joannes.

An vero, si scribere jussi essent, ita Divini Magistri praeceptum adimplessent?

Qui autem non scripserunt (quorum plerique fuerunt) quomodo ei obedire dicerentur?

Christi igitur consilio, actisque Apostolorum evidenter innotescit, Traditiones Divinas dogmaticas, a sacra Scriptura distinctas, existere.

### III.

Si Divinae Traditiones dogmaticae, a sacra Scriptura distinctae, non existerent, Apostolus non adeo eas et servare et venerari instanter imperaret; quum autem hoc imperet, eas existere evincitur.

Prob. maj. Quum dogma et moralis in Scriptura

consignata existant, et Traditiones Divinae dogmaticae, ab illa distinctae, non essent, Apostolus Scripturam servare et retinere jussisset, deque Traditionibus, tunc non necessariis, minime loqueretur.

Prob. min. In prima ad Cor. epist. XI. duas quæsitiones tractat Apostolus, unam de orandi in Ecclesia modo, alteram de modo sumendæ Eucharistiae, quorum ambæ ex Traditione exordiunt. Et ut ostendat multum tribuendum esse Traditioni et consuetudini Ecclesiae, etiam sine scripto: *Si quis, inquit, autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Quum vero alia provideat, concludit: *Caetera, quum venero, disponam;* quid autem disposuit, nusquam scriptum invenitur.

In prima ad Timotheum epistola VI. 20: *O Timothee,* inquit, *depositum custodi.* Et in secunda ad eundem I. 13, 14: *Formam habe,* inquit, *sanorum verborum, quae a me audisti. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.* Et Cap. II. 1, 2: *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in CHRISTO JESU, et quae audistis a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* His in locis nomine *depositi* non potest intelligi Scriptura, sed thesaurus doctrinae, intelligentia dogmatum diuinorum, id est, tam sensus Scripturarum, quam aliorum dogmatum, quam totam doctrinam propagare per Traditionem volebat. Et facile ex ipsis Apostoli verbis colligitur. Nam si loqueretur de verbis scriptis non tam anxie commendaret depositum, Scripturæ enim facile conservantur in thecis, et a librariis: Apostolus autem vult servari per Spiritum Sanctum in pectore Timothei. Et deinde non adderet: *Haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Et cap. III. 14: *Tu vero permane in iis, quae didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris.* Quæ verba satis innuunt samam doctrinam voce magis quam scripto ab Apostolis

tradi solitam, instar depositi sollicite a primis Pastori-  
bus esse custodiendam, et quasi per manus ad succes-  
sores, integra transmittatur.

Ad Hebr., Cap. VI. 1, 2, 3, Apostolus inquit nolle  
se de poenitentia, operibus mortuis, fide in Deum, de  
diversis baptismi generibus, manuum impositione, mor-  
tuorum resurrectione, deque finali judicio dicere; sed,  
quum hoc Deus vellit, facturum. Quum autem suis in  
epistolis nullibi Apostolum ea dixisse videamus, viva  
voce docuisse patet.

## III.

Quum factum aliquod a plurimis testibus, aetate et  
charactere differentibus, adseritur, quorum lucra, adse-  
etus ac praejudicia eadem esse non possunt, quumque  
ipsi testes sint et regionibus et linguis diversi, fieri non  
potest, quin factum sic adseratum non existat; sed Tra-  
ditiones Divinae dogmaticae, a sacra Scriptura distin-  
ctae, per multos testes, omnes his dotibus instructos,  
adseruntur: ergo.

Prob. maj. Unius pluriumve testimonium, qui  
omnes eodem tempore regioneque viverent, contradici  
potest; unus enim falli posset, plures, ut falsitatem ad-  
firmarent conjurari; sed, quum plurimi testes temporibus,  
regionibus linguisque diversis ad unum omnes ali-  
quod factum adserunt, hoc proculdubio verum est, ma-  
xime quum testes ipsi fallere non possent, quin contra-  
dictionis, dedecoris, humiliationisque periculo se expo-  
nerent.

Prob. min. Ut non unius vel alterius antiquorum  
Patrum esse monstremus de Divinis dogmaticis Traditionibus asserti-  
onem, sed omnes aequi in eandem con-  
spirasse sententiam, pariterque eidem veritati adstipula-  
tos esse: ab antiquioribus petamus exordium, et, ut

instituti ratio patitur, singulorum hic testimonia adferamus.

**Ex Graecis.**

PAPIAS, Joannis auditor, apud EUSEBIUM, ait: *Miki occurrebat, qui cum senioribus versatus esset, curiose sciscitabar, quaecumque essent seniorum dicta; quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas .... vel caeteri Domini discipuli dicere soliti essent .... Neque enim ex libris tantum proficere posse existimabam, quantum ex hominum superstilium viva voce.*

IGNATIUS martyr, Eusebio teste, lib. III. hist. Cap. XXXVI. quum Romam a satellitibus duceretur, singulas hortabatur Ecclesias, ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent; quasi quidem, ad certioram posteriorum notitiam, testimonio suo confirmatas, scriptis mandare necessarium duxit; et quod id fecerit, luculentissime ex undecim, quas ad diversas Ecclesias scripsit, epistolis comprobatur.

DYON. Areopag., Cap. I. Ecclesiast. hierarch.: *Primi illi, inquit, nostri Sacerdotalis munieris duces summa illa, et supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis nobis tradiderunt.*

HEGESIPPUS, apud Euseb., lib. IV. hist. Cap. VIII. Traditiones, quas ab Apostolis adcepérat, quinque libris comprehendit, qui etsi non extens, tamen satis hoc testimonium, Apostolos non omnia scripsisse, quae docuerant, indicat: ait Euseb.: *Iste enim sinceram et minime fucatam Apostolicae praedicationis traditionem quinque libris illo quidem scribendi genere maxime simplici ac summisso litteris persequi aggrediens, tempus quo ipse floruit, aperte indicat.*

De POLYCARPO, Apostolorum discipulo, haec scribit Irenaeus Lib. III. Cap. III.: *Polycarpus autem non solum*

*ab Apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex eis, qui Dominum nostrum viderunt: sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea, quae est Smyrnis, Ecclesia, constitutus Episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra aetate, . . . hic docuit semper, quae ab Apostolis didicerat, quae et Ecclesiae tradidit ei sola sunt vera.*

JUSTINUS martyr, Orat. ad Antoninum Pium exakte ritum sacrae Eucharistiae celebranda descriptis, quod non aliunde, sed ex Apostolica tantum Traditione, adcipere poterat. Et in Apolog. II. pro Christianis, posteaquam multa de illis exposuit, et inter alia quaedam in Divinis litteris non scripta, ut quod convenient singulis Dominicis, et post lectionem Scripturarum et concionum, offeratur et consecretur panis et vinum aqua temperatum, et quod non licet ullo modo participare de Eucharistia, nisi post Baptismum, et alia: subjungit statim: *Postridie Saturni, qui dies Solis est, quam Apostolis, discipulisque suis apparuisset, haec illis tradidit, quae vobis quoque consideranda permittimus.*

IRENAEUS lib. III. Cap. 2, 3, et 4, multa praeclara de Traditionibus dicit; et in Cap. 4, ut alia omittam, expresse de Traditionibus Divinis dogmaticis, a sacra Scriptura distinctis, loquitur, quum ait: *Quid autem si neque Apostoli Scripturas quidem reliquissent nobis; nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentient multae gentes barbarorum, quorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem Traditionem diligenter custodientes.*

CLEMENS Alexandrinus in lib. de Pasch., ut est apud Euseb. lib. VI. hist. Cap. XI. dicit, *extorqueri sibi a fratribus, ut ea quae a Presbyteris Apostolorum successoribus voce sibi sola tradita essent, describeret in libris, ac posteris traderet; nescio quid clarius pro Traditionibus dici possit.*

ORIGINES in Cap. VI. Ep. ad Rom.: *Ecclesia*, inquit, ab Apostolis Traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare. Et homil. V. in libr. Numer.: In ecclesiasticis observationibus, inquit, sunt nonnulla, quae omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Et enumerat statim multas Traditiones non scriptas, quae in Ecclesia observantur.

EUSEBIUS lib. I. de Démonstr. Evangel. Cap. VIII.: *Caeterum*, inquit, *Moses in tabulis inanimatis, Christus autem in mentibus vita praeditis perfecta Novi Testamenti documenta descripsit. Ejus vero discipuli, ad magistri sui nutum, auribus multorum doctrinam suam accomodantes, quaecumque quidem veluti ultra habitum progressi a perfecto ipsorum magistro praecepta fuerant, ea iis, qui capre poterant, tradiderunt: quaecumque vero iis convenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationisque indigentes, ea ipsi ad imbecillitatem multorum se dimittentes, partim litteris, partim sine litteris, quasi jure quodam non scripto, servanda commendarunt.*

ATHANASIUS in lib. de Deer. Nicaenae Sinodi contra Eusebium: *Ecce, inquit, nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstravimus. Vos autem, o novi Judaei et Caiphae discipuli, quos tandem verborum vestrorum potestis ostendere progenitores?*

BASILIUS lib. de Spir. Sanct. Cap. XXVII.: *Dogma, inquit, et instituta quae in Ecclesia servantur ac prae dicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum Traditione in mysterio ad nos delata recepimus. Quae utraque eandem ad pietatem vim habent, et nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum jurium experientiam habet. Et continuo enumerat plurimas Traditiones non scriptas, et simili ter habet Cap. XXIX.*

CHRISOSTHOMUS in II. ad Thessal. II.: *Patet, inquit,*

*quod non omnia per epistolas tradiderint Apostoli, sed multa sine litteris.*

**THEOPHILUS** lib. I. et III. Paschali, diserte docet, legem jejuniorum Apostolicam esse Traditionem.

**CYRILLUS** Hierosolymitanus in Cathech. mystag., nihil sere explicat aliud, quam Traditiones non scriptas de baptismo, et aliis sacramentis.

**EPIPHANIUS** haeres. LV.: *Termini, inquit, nobis positi sunt, et fundamenta, et aedificatio fidei: Apostolorum Traditiones, et Scripturae sanctae, et successiones doctrinac, et undequaque veritas Dei munita est: et nemo decipiatur novis fabulis.* Item haeres. LXI.: *Oportet, inquit, et Traditione uti; non enim omnia a Divina scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione Sancti Apostoli tradiderunt.*

**DAMASCENUS** lib. IV. Cap. XXII. *Plurima, inquit, Apostoli sine scripto tradiderunt.*

#### **Ex Latinis.**

**TERTULLIANUS** quam egregius adstipulator ejusdem veritatis extiterit, nemo est qui non sciatur.

In lib. de prescript., ubi ex instituto docet, haereticos non ex Scripturis, sed ex Traditione confutandos, Cap. XXI.: *Quid, inquit, aut Apostoli praedicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam: non aliter probari debet, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando, tam viva (quod aiunt) voce, quam per epistolas postea.* Lib. de Cor. mil. Cap. III.: *Etiam, inquit, in Traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quaeramus, an et Traditione non scripta non debeat recipi. Plene negabimus recipiendam, si nulla exempla prejudicent aliarum observationum, quas sine ullius scripturae instrumento, solius Traditionis titulo, exinde consuetudi-*

*nis patrocinio vindicamus.* Deinde enumeratis caeremoniis baptismi, signi crucis, sacrificii anniversarii pro defunctis, et aliis quibusdam Cap. V. subdit: *Harum, et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi pretendatur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix.* Idem passim Traditione utendum docet lib. I. cont. Marcion.; lib. II. ad uxorem; lib. de veland. virg., etc.

**CYPRIANUS** lib. I. Epist. XII. *Ungi quoque necesse est, inquit, eum qui baptisatus est.* At constat nihil de chrismate in Scripturis haberi, sed tantum in Traditione. Idem Lib. II. Epist. III.: *Admonitos nos scias, ut in calice offerendo Dominica Traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.*

**HILARIUS** lib. contr. Constant. Imperat. objicienti Ariano Principi: *Nolo, verba quae non sunt scripta legi:* Respondet: *Hoc tandem rogo, quis Episcopis jubeat? quis apostolicae praedicationis vetet formam? Dic prius, si recte dici putas, nolo adversus nova venena novas medicamentorum comparationes.*

Quibus verbis Hilarius indicat, praedicationem consubstantialitatis Patris et Filii esse Apostolicae Traditionis, licet expresse non sit Scriptura, Filium esse Patri consubstantialem.

**AMBROSIUS** lib. de iis, qui init. myster. Cap. II. et VI. et lib. I. de Sacram. Cap. I. et II. explicat ritus, qui ab universa Ecclesia servantur in baptismo, qui nusquam scripti inveniuntur in Divinis litteris, et quos caeteri constanter referunt in Apostolos auctores. Serm. XXX. XXXVI. et XXXIX. docet, Quadragesimam a CHRISTO praeceptam. Epist. LXXXI. et Serm. XXXVIII. docet, Symbolum Apostolorum esse Traditionem non scriptam.

**HIERONYMUS**, in Dial. adv. Lucifer. quum haereticus

dixisset: *Multa, quae per Traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptae legis usurpaverunt: respondit orthodoxus: Non quidem abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem: sed quale est, ut leges Ecclesiae ad haeresin transferas?*

AUGUSTINUS ex Traditione peccatum originis probat adversus Pelag. lib. II. contr. Julianum. Ostendit non esse rebaptisandos baptisatos ab haereticis, ex consuetudine ab Ecclesiae Traditione veniente, ut loquitur lib. II. de Bapt. contr. Donat. Rursus lib. X. de Gen. ad litt. consuetudinem Ecclesiae in baptisandis infantibus tenendam esse docet, quia ex Apostolica Traditione manavit. Universim vero lib. cit. de Bapt. statuit multa per universam *Ecclesiam custodiri, et credi, quae tamen in sacris litteris non inveniuntur, nec in Conciliis sancta fuerunt.* In his autem locis, ut alia multa praeteream, innuit Augustinus, immo et expresse commemorat Traditiones ab ipso Verbo Dei scripto distinctas, neque ad observandum liberas, sed necessarias ac certo tenendas.

#### **Ex Conciliis.**

Adcedant nunc Conciliorum testimonia, quae incredibili consentione hanc etiam veritatem profitentur.

Concilium antiquissimum et celeberrimum *Nicaenum I.* ex doctrina non scripta damnavit Arii haeresin, ut diserte testatur Theodoretus lib. I. hist. Cap. VIII. Etsi enim quaedam Scripturae poterant adferri contra Arium, tamen quia ille Scripturas etiam proferebat; ex doctrina non scripta, sed tradita per manus Patrum sibi in Ecclesia succedentium eum-damnaverunt.

*Nicaenum II.* act. VI. tom. IV.: *Praeterea, inquit, quum multis, quae nobis sine scripto tradita sunt, etiam imaginum factio in Ecclesia ab Apostolorum praedicatio-*

ne dilatatum est. Et act. VII. in fine sic habet: *Siquis omnem Traditionem Ecclesiasticam sive scriptam, sive non scriptam irritam facit, anathema sit.*

Idem in Concil. VIII. Generali act. VIII. reperitur, et post act. ult. Can. I. profitentur Patres se servatuos omnes Traditiones non solum Apostolicas, sed etiam Ecclesiasticas.

Tridentini denique Patres etiam Sess. IV. in Decr. de Canon. Script. profitentur, se pari pietatis affectu ac reverentia suspicere et venerari omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti; quum utriusque unus Deus sit auctor, nec non Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas.

---

Quoniamq[ue] anima nostra a nobis male est et peccata  
nos trahunt in nos et in omnia peccata nostra  
habet originem. Ut enim dicitur in libro prophetarum  
adversus egyptum: *Exodus 14:12* *Exodus 14:12* *Exodus 14:12*  
adversus egyptum ex dicitur: *Exodus 14:12* *Exodus 14:12* *Exodus 14:12*

## CAPUT SECUNDUM.

*De Traditionum Divinarum dogmaticarum, a sacra  
Scriptura distinctarum, necessitate.*

Tribus argumentis Traditionum Divinarum dogmaticarum necessitatem demonstrare nobis in animo est: quae omnia in principiis ab adversariis admissis innixa, ideo necessario convincent omnes, qui absque systematis pertinacia lucem veritatis adspicere velint.

### I.

Necessarium est omnibus certo pernoscere libros canonicos divinitusque inspiratos; sive, tamquam ex revelationis fontibus quidem, ut a nobis, admittantur, sive, ut a Protestantibus, tanquam uno modo ejusdem revelationis fons; quum vero nec per Scripturam, nec per aliam quamcumque viam, nisi per Traditionem Divinam dogmaticam, certam ejusmodi indubitatamque cognitionem adquirere possimus: ideo necessaria est Traditio Divina dogmatica.

Prob. maj. Omnibus, ut salutem obtineant, necessa-

rium est dogmata moralemque noscere, ut illa credant, hanc opere compleant; quum autem dogmata et moralis in libris canoniciis divinitusque inspiratis, vel partim, ut nos asserimus, vel omnia, ut Protestantes, inveniantur: hinc absque dubio, quinam illi sint, noscere necesse est, ut eos ab illis, quibus haec inscriptio false attribuitur, discernamus.

Prob. min. Scriptura libros, ex quibus constet, minime notat, et, si de eorum inspiratione loquitur, id adeo generaliter facit, ut impossibile sit certe concludere hunc illumine librum sigillatum a Spiritu Sancto fuisse dictatum; sed, etiamsi Scriptura evidenter munerum inscriptionemque librorum, ex quibus constat, notaret, eorumque inspirationem testaretur, irresoluta maneret difficultas, quod etiam necesse esset ejus testimonii authentiam inerrantiumque demonstrare; simulque probare librum, in quo testimonium illud inveniretur, canonicum esse divinitusque inspiratum.

Paulus Epist. II. ad Timot. III. 16; *Omnis*, inquit, *Scriptura divinitus inspirata*: de qua vero Scriptura loquitur Apostolus? certum habemus de scriptis Apostolorum illum non loqui, quia, quo tempore hanc ille epistolam scripsit, nondum existebant; sed licet ille de omnium librorum sacrorum inspiratione loqueretur, necessarium esset scire, num inspiratus ipse esset, ut eidem crederemus. Hoc testatur Petrus in sua II. Epist. III. 15 et 16; sed hic nova oritur difficultas, quum Scriptura nullibi de hujus inspiratione loquatur.

Quum igitur eam notitiam nequeamus per Scripturam adquirere, alium fontem, ex quo illa indubie derivetur, inquirere debemus.

An vero hanc nobis infallibilem cognitionem adferre poterunt interni librorum characteres, critica, spiritusve *privatus*? Non id ex internis librorum characteribus nosceremus; multi namque sunt libri, qui, quemadmodum canonici, sanctas continent doctrinas, nec tamen sunt di-

vinitus inspirati: nec ex arte critica; quia quam severissimae criticae investigationum certissimae quaeque consequentiae testimonium Dei substituere non possunt circa veritatem, quam ut ex fide Divina necessarium est credere, cujusque proinde infallibilis sponsor solus Deus esse potest; contradictorium enim foret contendere, hominis auctoritatem, vel sapientium mentes, fidei Divinae, quae omnem timorem periculumque errandi excluderet, esse fundamentum.

Superest igitur exquirere, an haec cognitio certa et indubitate a *spiritu privato* nobis possit ministrari; sed, qui apud Protestantes e *spiritu privati* adflatibus consecutum sit inquirentes, cognitionem illam a spiritu privato haberi non posse perspicimus; spiritus enim ille qui Lutherum omnes Novi Testamenti Deutero — Canonicos libros rejicere docet, Calvinumque eos ut inspiratos admittere, non ita securus est dux, ut eum in tanti momenti negotio sequi liceat.

Sola igitur Traditio, quippe verbum Dei, indubitanter nobis canonicorum divinitusque inspiratorum librorum cognitionem praestare potest, nosque in iis a non canonicis distinguendis ducere; absque illa nunquam hoc problema solvendum.

## II.

Necesse omnibus est librorum canonicorum sensum quam certissime pernoscere; sed quum per Traditionem tantum Divinam dogmaticam sensus ille a nobis cognosci possit: inde necessariam esse patet.

Prob. maj. Si canonici libri dogmatis moralisque origo sunt, evidens est, omnibus necessarium esse eorum librorum genuinum sensum indubitate cognoscere; quod tantum in negotio quod ad salutem respicit, reddere firmam potest fidem.

Prob. min. Magnam libri sancti, etiam circa praecipua fidei capita, judice Petro, obscuritatem habent; inquit enim: *in quibus sunt quaedam difficultia intellectu* (II. Ep. III. 16): quamobrem ipsi soli veritatum, quas continent, intellectionem nobis sufficere nequeunt. Ad haec, absonum esset codicem doctrinalem praeceptorumque collectionem unicam esse simul et regulam sequendam, et judicem, a quo eadem adplicetur, et tribunal, quod nobis ejus sensum extensionemque aperiat. Legislatores omnes tribunalium necessitatem noverunt, ut leges suas interpretarentur et adplicarent, poenas vel præmia distribuendo: solus autem JESUS CHRISTUS, legislatorum sapientissimus, imperfectum suum relinqueret opus?

Omni aeo, Scripturae obscuritas quaestiones sovit, discordias exacuit, errores peperit: et in omnibus quaestionibus Scripturam diversae partes, ut suarum sententiatarum fundamentum, invocarunt. Quis litem dirimet? Sapientes? minime: omnes enim haeretici sese sapientes existimarunt, et novemdecim saeculis nondum aliud quam conjicere valuere. Ignari? multo minus: quia liber mortuis linguis conscriptus, ab auctoribusque antiquissimis compositus, apud populos, quibus cordi erant parabolæ, allegoriae, stylusque figuratus, nunquam tam perspicuus, tamque fideliter translatus esse potest, ut per se ipse solus quemque certissimo Dei testimonio doceat quaecumque credere et facere debeat, nec etiam ignaris, hominum plerisque, elementa ministrare, quae, ut symbolum uniforme integrumque efficiant, necessaria sunt: hic liber, sine Divina dogmatica Traditione, semper et omnibus erit, quod Protestantibus fuit, tot opinionum origo, quot sunt ejus lectores, et saepe totidem, quoties homo idem illum meditatur.

Licet autem omnes eruditæ et sapientes homines esent; licet ad unum omnes legere et intelligere Scripturas possent; licet eae unicum fundamentum, unica fidei

et morum esse regula; qui traditionem rejicerit, probare nunquam poterit, quicquid doceat aeterno verbo illius, qui a se veritas est, esse firmatum. Dicere quidem poterit, Scripturam pro illius doctrina testari, sacros libros veritatem unam aliamve docere, fidem istam illamve statueré, unum aliudve dogma proclamare: sed quum mutum modo librum, litteramque mortuam, non testem autem vivum, per se ipsum dicentem, invocet, singulis ejus assertionibus, interrogando, respondebimus. Verumne Scripturae sensum exhibebit semper unius interpretis sententia? si ita est, quomodo tot tanta que inter exegetas existunt opinionum varietates et contradictiones? Eritne veritas multiplex? Quinam igitur errant? quodque vadimonium infallibilitatis vestrae nobis exhibetis? Sic non fidei vestrae materies est Scripturae littera, sed interpretatio vestra; quid si vestra est et non Dei, non ideo vos docet Deus, sed vosmetipsi; ac proinde nulla verbis vestris auctoritas inest. Et quamvis etiam sectae doctorumque vestrorum, sanctorum quoque Ecclesiae Patrum testimonia invocaretis, quum tamen Ecclesiae infallibilitatem Traditionisque Divinae auctoritatem negatis, solum vobis favebit hominum testimonium, quod, etiamsi a vobis nimis extollatur, nunquam Divinae auctoritatis pondus exequabit.

Siquis autem dicat Spiritum Sanctum Scripturarum interpretationem ministrare, in muto libro loqui, litteramque mortuam vivificare et mentibus lumen inferre; respondebimus: si Spiritus Sanctus verum Scripturarum sensum suggereret, idem esset, qui *Wittenbergae JESUS CHRISTI* in Eucharistia realem praesentiam adseruit, *Turici* (Zurich) autem simul negavit; qui *Luthero* criminis utilitatem, Calixto vero bonorum operum necessitatem revelavit; qui *Calvinum*, Christum Dei filium, *Socinum* vero, eundem simplicem et purum hominem esse edocuit; qui dogmata diversissima, doctrinasque contradictorias inspiravit; qui tandem adfirmando simul et negando quaestiones omnes dissolvit.

Remota igitur Traditione, fida Dei vocis imagine, nec firmiter ac certissime verus Scripturae sensus obtineri, nec ideo divina fides in suo argumento esse praecisa, nec in testimonio Dei, sed tantum in humana auctoritate, incerta, contradictoria et varia, inniti possent dogmata; Evangelium evaderet sine auctoritate liber, quod, quaecumque sibi quis effingat, loquatur: in quae Protestantes lapsi sunt, et quae jam V. saeculo praedixerat Basilius.

## III.

Ipsimet Protestantes multa, ipsaque substantialia credunt, necessarioque credenda judicant, quae in sacris litteris nec expresse, nec implicite habentur; quidquid autem creditur, credi debet propter aliquod Dei verbum nobis sufficienter propositum: quapropter Divinae ac dogmaticae Traditiones necessario admittendae.

Prob. maj. Protestantes credunt et necessario credendum existimant: tres esse in Deitate personas: Christum cum Patre Divinum et aequalem: Sancti Spiritus a Patre Filioque processionem, ipsiusque Divinitatem: unam in Christo personam, duas tamen naturas, Divinam et humanam, sine transfusione: perpetuam B. Mariae Virginis virginitatem: et alia id genus multa.

Quod hucusque de *credendis* dictum est, facile quoque ad *facienda* extenditur. Baptisant enim parvulos, et baptismum non repetunt: negant parvulis Eucharistiam, quam adultis iterant: eam sub utraque specie distribuunt: animalia suffocata et sanguinem comedunt: non Sabbathum, sed diem Dominicam servant: formam, seu verba, quibus conficitur baptismus et Eucharistia, orentus pronuntiant, non sola mente cogitant.

Haec et similia credunt et faciunt, eaque necessaria

cent; quum tamen in Scriptura nec expresse, nec implicite sint expressa, imo ibi contrarium praecipi videtur.

*Prob. min.* Fides in verbo Dei nititur; quidquid ideo creditur nobis constare debet ex Scriptura aut ex Traditione; alias nobis nulla erit fides.

Operi finem faciemus, aliquot ex recentioribus Protestantibus Theologorum sententias exhibendo, quae, quantum illis de Traditionum necessitate jam persuasum sit, evidenter demonstrant. *Lessing* inquit: Traditio, non Scriptura, petra quidem est, super quam Christi Ecclesia aedificata est. *Semler*: sola historiae ignorantia efficit, nt Christiana religio cum Biblia confunderetur. *Tielstrunck*: Falsa idea est documenta biblica, pro scriptis omnia Christianae religionis doctrinas continentibus, habere. *Hickles*: Qui Ecclesiae Patrum et conciliorum testimonia admittere non vult, librorum revelatorum auctoritatem, infantium baptismam, Divinamque etiam nostri redemptoris JESU CHRISTI naturam, negare poterit, unoque impulsu Ecclesiae fidem evertere. *Waterland*: Traditionis probationibus admissis, minime restringitur Scripturae auctoritas; e contrario, firma solidaque fit, Scripturam orali traditione fulciendo. *Field*: Admodum est insanum adversus ea, quae ubique, semper et ab omnibus docentur, insurgere. *Ptanck*: Si reformatores id omne praevidissent quod includebatur in illo principio, quod Biblia sit fons unicus fidei, omnesque magni hujus principii consecutiones, supra quod Lutherus statuit systema suum, tam illi quam Lutherus maluissent ei renuntiare. *Dellbruck*: Paucis qui per solum Scripturae textum in ultima analysi determinare fidem contendit,

eam talem efficere nititur qualis et juxta naturam suam esse non potest, et juxta Domini intentionem esse non debet, et prout ipsamet declarat, esse non vult et primis christianaee rei aureis temporibus profecto non fuit.

En dicta, factis confirmata; nulla enim Scripturæ est pagina, quae discepta non sit ab iisdem, qui eam pro unica fidei morumque regula sumunt, traditiones rejiciendo; his admissis, illas demum servabimus, utrisque vero servatis et custoditis, salutem consequemur.

**FINIS.**



